

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XVII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, f.62vb-68ra)

Audistis quoniam dictum est antiquis, non adulterabis, ego autem dico uobis, quoniam omnis qui inspicit mulierem ad concupiscendum eam, iam adulterauit eam in corde suo.

Complens igitur primum mandatum, et in summum philosophiam ipsum extendens, uia et ordine proueniens, iam procedit ad secundum. Et hic legi credens. Sed tamen non secundum est hoc ait, sed tertium. Non enim prius est non occides, sed dominus deus tuus, dominus unus est. Ideoque querere dignum est. Cur ergo non inde incepit? quoniam incipiens inde, oportebat et ipsum augere, et seipsum simul inducere. Nondum autem tempus erat de seipso docere aliquid tale, sed et aliter, moralem interim edocebat sermonem, hinc uolens primum et ex miraculis, suadere auditoribus quoniam filius erat dei. Igitur antequam loqueretur et faceret, mox dicere audistis quoniam dictum est antiquis, ego dominus deus tuus, et preter me non est alius. Ego autem dico uobis et me adorare ut illum, fecisset omnes ut insano sibi intendere. Si enim et post doctrinam, et post tanta miracula, nondum manifeste ipso hoc dicente, demoniacum uocabant, si ante hec uniuersa temptasset aliquid tale dicere, quid non utique dixissent, quid non utique excogitassent? In tempore autem decenti doctrinam que de his est seruare, facile susceptibile faciebat pluribus dogma. Ideoque nunc quidem id transcucurrit, a signis et optima doctrina, id ubique construens. Postea autem id et per uerba reuelauit. Nunc denique signorum demonstratione, et ipso doctrine modo, paulatim et quiete id aperit. Enim cum potestate talia hoc in legislationem deducere et emendare, eum qui intendit et intellectum habet, reducebat et ad sermonem huius dogmatis. Ammirabantur enim eum ait, et stupebant quod non sicut scribae eos docebat. Incipiens enim a generalissimis que in nobis sunt passionibus, furore dico et concupiscentia. Hec enim sunt que maxime ut tyranni dominantur in nobis, et aliis sunt naturaliores, cum multa auctoritate, et quanta legislatori decens erat, et emendauit eas, et cum multa decorauit diligentia. Neque enim dixit, quoniam adulter punitur solum, sed id quod fecit in eo qui occidit, hoc et hic facit, et in continentem uisum puniens, ut discas ubi ponit amplius scribis. Ideoque ait, qui inspexit mulierem ad concupiscendum, iam adulterauit eam. Hoc est, qui studet, clara corpora circumscrutari, et pulchros uisus uenari, et fouere inspectione animam, et infigere oculos bonis faciebus. Non enim corpus uenit eripere a pernitiosis actibus solum, sed et animam ante illud. Quoniam enim in corde spiritus suscipimus gratiam, id expurgat primum. Et qualiter possibile est ait, a concupiscentia eripi? Maxime quidem si uoluerimus, possibile est, et hanc mortificare, et in operabilem manere. Sed et aliter. Hic non simpliciter concupiscentiam destruit, sed et concupiscentiam que ex uisu innascitur, qui enim studet uidere pulchros uisus, ipse maxime caminum passionis accendit, et animam captiuam facit, et uelociter, et ad actum uenit. Propterea non dixit quicumque concupiuerit ad adulterandum, sed quicumque uiderit ad concupiscendum. Et in ira quidem, de terminationem quandam posuit dicens, inaniter et uane, hic autem non ita, sed in simul concupiscentiam destruxit. Quamuis utraque natiua sunt. Et utiliter utraque natiua iniacent, et ira et concupiscentia. Hec quidem, ut pernitiosos puniamus, et eos qui in decencia fatiunt emendemus. Hec autem, ut filios fatiamus, et genus nobis conseruetur talibus successionibus. Cur igitur non posuit determinationem et hic? maximam quidem si intenderis, uidebis determinationem iniacentem. Non enim simpliciter dixit, quicumque concupiuerit,

Commented [ND1]: [fol.63ra]

Commented [ND2]: mandatum add. super lin.

Commented [ND3]: [fol.63rb]

Commented [ND4]: uel eorum add. super lin.

Commented [ND5]: uel ira add. super lin.

Commented [ND6]: uel alere add. super lin.

Commented [ND7]: [fol.63va]

quoniam est et in montibus sedentem concupiscere, sed quicumque inspexerit ad concupiscendum, hoc est, quicumque sibi ipsi concupiscentiam colligit, qui nullo cogente, feram hanc, inducit quiescenti cogitationi. Hoc enim non amplius naturae est, sed desidia. Hoc et uetus testamentum, antiquitus emendat diceres, ne adipiscas pulchritudinem alienam, deinde ut non aliquis dicat. Quid igitur si addiscam, et capiar, punit uisum, ut non in licentia hac confidens, incidas quandoque in peccatum. Quid igitur si uidero ait et concupiuerō quidem, nichil autem adipiscar perniciosum? Et ita cum adulteris eris, enuntiauit enim legislator, et nichil oportet circumscribatur amplius, semel enim et bis et ter uidens, fortassis poteris continere. Si autem continue hoc feceris, et accenderis caminum, capieris omnino, non enim extra humanam es naturam, quemadmodum enim nos si uiderimus puerum gladium detinentem, etsi non percipientem uiderimus, flagellamus et prohibemus ipsum nequaquam eum detinere, ita et deus incontinentem uisum, et ante actum destruit. Ne forte et in actum incidat. Qui enim flammam accendit semel, et absente uisa muliere, plasmat apud seipsum continue, ydola flagitiosarum actionum, et ab ipsis multotiens et ad opus procedit. Ideoque collectationem que est per cor, destruit christus. Quid igitur dicent qui cohabitantes uirgines habent? a legis enim positione, decem milium utique erunt adulteriorum obnoxii secundum unamquamque diem cum concupiscentia uidentes eas. Ideoque beatus iob hanc a principio ponebat legem, percludens sibi ipsi undique talem inspectionem. Etenim maior est agō postquam uidet, et non fruitur ea quae uisa est. Et non tantam a uisu fructificamus uoluptatem, quantam ab augendo concupiscentiam hanc sustinemus iacturam, fortem facientes aduersarum, et ampliorem dantes spaciositatem diabolo, et non amplius potentes eum expellere cum ad intima introduxerimus et expanserimus ei mentem. Propterea ait. Ne adulteraueris oculis, et non adulterabis mente. Est enim et aliter uidere, ut sobrii uident. Propterea non simpliciter uisum destruxit, sed uisum qui est cum concupiscentia. Si autem non hoc uellet, dixisset utique qui uidet mulierem simpliciter. Nunc autem non ita dixit, sed qui uidet ad concupiscendum, qui uidet ut delectet uisum. Neque enim ad hoc tibi oculos fecit deus, ut per hos adulterium introducas, sed ut eius creaturas uidens ammireris conditorem, quemadmodum igitur est inaniter irasci, ita est inaniter uidere, cum ad concupiscentiam hoc feceris. Si enim uis uidere et delectari, uide tuam mulierem, et hanc ama continue, nulla prohibet lex. Si autem alienas circumscribaberis pulchritudines, et illi iniustitiam infers, alio suspendens oculos, et huic quam uides, tangens inique eam, etsi enim non tetigisti manu, sed rimatus es oculis. Propterea et hoc adulterium estimatum est. Et ante supplitium illud, supplicium non quodlibet inducit. Etenim tumultu et turbatione omnia interiora implentur, et multa quidem est procella, difficillimus autem est dolor. Et captius et ligatis in nullo melius qui hec patitur disponetur, et hec quidem, sagittam immittens, multotiens euolauit, plaga autem et ita manet. Magis autem non illa sagittam immisit, sed tu pestiferam dedisti tibi ipsi plagam incontinentem uidens, et hec dico, sobrias eripiens ab accusatione. Quia si aliqua decorauerit se et uocauerit ad seipsam oculos hominum, etsi non plagam intulerit cuilibet, uindictam dabit extremam. Farmacum enim miscuit, et uenenum construxit, etsi non calicem protulit. Magis autem et calicem obtulit, etsi nullus qui bibit inuentus sit. Quid igitur, nonne et ad has loquitur ait? quoniam communes leges ponit, etsi ad uiros extendere uideatur leges. Capiti enim loquens, communem et ad corpus facit suasionem. Mulierem enim et uirum unum nouit animal, et nusquam diuidit genus. Si autem et singulariter audire uis, illationem que est, aduersus ipsas, audi ysaïam dicentem, multa aduersus eas intendentem, et conuittantem earum formam, uisum, incessum, prolixas tunicas, ludentes pedes, infractas ceruices. Audi cum illo, et beatum paulum, multas eis ponentem leges, et pro uestimentis, et pro auro, et pro capillorum complicatione, et pro luxuriatione, et pro aliis talibus uehementer increpantem, hoc genus. Sed et christus per ea

Commented [ND8]: uel congregat add. super lin.

Commented [ND9]: uel menti add. super lin.

Commented [ND10]: lex add. super lin.

Commented [ND11]: [fol.63vb]

Commented [ND12]: prohibet add. super lin.

Commented [ND13]: uel cordis add. super lin.

Commented [ND14]: [fol.64ra]

Commented [ND15]: [fol.64rb]

Commented [ND16]: mulier add. super lin.

que sunt **deinceps**, enigmatische hoc ipsum ostendit. Cum enim dicat incide, et erue eum qui scandalizat, iram que est ad illas demonstrans ait. Propterea induxit. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, et mitte abste. Vt enim ne dicas, quid igitur si cognatus fuerit, quid igitur si aliter me attingit? propter hoc hec iussit, non de menbris disputans. Absit. Nusquam enim carnis incusationes esse ait, sed ubique **consilii** perniciosi est accusatio. Non enim oculus est qui uidet, sed mens, et intellectus. Multotiens denique alio uersis nobis, oculus presentes non uidet, quare omnia non sunt **actus** eius. Si enim de menbris diceret, non utique de uno dixisset oculo, neque de dextro solo, sed de utrisque. Qui enim a dextro scandalizatur, manifestum quod et a sinistro idem patietur. Cur igitur dextrum posuit et manum apposuit? Vt discas quod non de menbris est sermo, sed de his qui familiariter ad nos se habent. Si enim aliquem ita ames ait. Vt in loco dextri oculi, uel ita utilem esse estimates, ut in ordine habeas manus, et obest tuae animae, et hos abscide, et uide **enuntiationem**. Non enim dixit **desiste**, sed multam separationem ostendens, erue ait, et mitte abste. Deinde postquam prohibitive dixit, monstrat et utilitatem alterutrinque et a bonis et a malis, immorans metaphoricè locutioni. Confert enim tibi ait, ut pereat unum membrorum tuorum, et non totum corpus tuum mittatur in gehennam. Quando enim **neque** seipsam saluet et te simul perire faciat, qualis philantropia id est amor hominum est, utrosque submergi? possibile **existente** eis separatis, saltim unum saluari? Quid igitur paulus eligebat ait, anathema esse? ut non nichil lucretur, sed ut alii saluentur. Hic autem, utrorumque iactura efficitur. Propterea non dixit erue solum, sed et mitte abste. Vt non ultra accipias, si talis manserit. Ita enim et illum a maiori eripies incusatione, et teipsum a perditione liberabis. Vt autem et manifestius uideas **legis** utilitatem, si uidetur, et in corpore, secundum **suppositionem** inuestigemus quod dictum est. Si enim heresis **preiaceret**, et necessitas esset, uel oculum habentem immitti in foueam, et perire, uel eruentem, reliquum saluare corpus, nunquid non utique quod secundum est **susciperes**? omni ubique manifestum est. Non enim odio habentis, esset. Istud, oculum, sed reliquum diligentis corpus, hoc utique et in uiris reputa, et in mulieribus. Si enim qui nocet tibi amicitia, incurabilis manserit, et te a iactura eruet uniuersa. Ita et **ipse** a maioribus eripietur incusationibus. Non ultra cum suis malis, et tuae perditionis rationem **sustinens**. Vides quanta mansuetudine lex plena est, et affectione, et que uidetur a multis abscisio esse, quantam demonstrat philantropiam id est amorem hominum? Audiant hec qui ad **theatra** festinant, et adulteros seipsos per unum quemque diem faciunt. Si enim familiarem in iacturam **factum**, abscidere lex iubet, quam utique habebunt excusationem, qui eos qui nondum sunt cogniti, per assiduitatem que illic est, per unum quemque diem attrahunt, et decem mille construunt eis perditionis occasiones? Non enim solum incontinentur uidere non iam concedit, sed **quoniam** iacturam que ex hoc est monstrauit, et intensiorem facit legem, procedens. Abscidere iuberes, et auferre, et a longe alicubi mittere. Et hec qui decem mille de amore mouit sermones, in legislationem ducit. Vt alterutrinque eius discas prouidentiam. Et qualiter ubique quod tibi confert querit. Dictum est autem, quicumque dimiserit mulierem suam det ei libellum repudii. Ego autem dico uobis, quicumque dimiserit mulierem suam extra causam fornicationis, facit eam adulterari, et quicumque dimissam duxerit adulterat. Non prius ad anteriora procedit, donec priora bene expurget. Ecce enim et aliam monstrat nobis adulterii speciem. Que autem est hec? Lex uetus erat posita, odio habentem mulierem suam, ex qualicumque causa, non prohiberi emittere, et alteram pro illa inducere. Non tamen hoc simpliciter facere lex iussit, sed dantem libellum repudii mulieri, ut non sit in **eius** potestate rursus ad ipsum reuerti. Vt saltim scema id est figura permaneat matrimonii. Si enim non hoc iniunxisset, sed possibile esset, et emittere eam et aliam accipere, deinde priorem reducere, multa confusio futura esset, continue eas que **alternate** sunt, accipientibus uniuersis, et adulterium iam hoc esset manifestum. Ideoque non

Commented [ND17]: [fol.64va]

Commented [ND18]: uel mentis *add. super lin.*

Commented [ND19]: uel actiones *add. super lin.*

Commented [ND20]: uel ostensionem *add. super lin.*

Commented [ND21]: absta, uel repudia *add. super lin.*

Commented [ND22]: [fol.64vb]

Commented [CN23]: hoc *add. super lin.*

Commented [CN24]: huius *add. super lin.*

Commented [ND25]: uel in exemplo *add. super lin.*

Commented [ND26]: immineret *add. super lin.*

Commented [ND27]: eligeres *add. super lin.*

Commented [ND28]: separatus *add. super lin.*

Commented [ND29]: reddens *add. super lin.*

Commented [ND30]: spectacula *add. super lin.*

Commented [ND31]: [fol.65ra]; effectum *add. super lin.*

Commented [ND32]: uel ubi *add. super lin.*

Commented [ND33]: mulieris *add. super lin.*

Commented [ND34]: uel promiscue *add. super lin.*

paruam excogitauit mitigationem, id est libellum repudii. Facta **autem** sunt hec propter aliam multo maiorem malitiam. Si enim coegisset et odio habitam detinere intus, occideret utique qui odit. Talis enim est iudeorum gens. Qui enim pueris non parcebant, et prophetas interficiebant, et ut aquam sanguinem effundebant, multo magis mulieri non utique pepercissent. Propterea quod minus est, concessit, quod maius est, abscidens. Quoniam quod non principaliter posita hec lex erat, audi ipsum dicentem. Moyses ad duritiam cordis uestri hec scripsit, ut non intus occidatur, sed extra emittatur. Postquam autem ipse iram omnem destruxit, non occisionem solam, sed et simpliciter irasci prohibens, cum facilitate et hanc inducit legem. Propterea et priorum semper uerborum rememorat, ut monstret quod non contraria illis, sed et conuenientia dicit. Intendens ea, non euertens. Et emendans non soluens. Vide autem ipsum, ubique uiro loquentem. Qui enim dimittit ait, mulierem suam, facit eam adulterari, et qui ducit dimissam adulterat. Hic enim, etsi aliam non acceperit, hoc ipso constituit seipsum incusationi obnoxium, adulteram faciens illam. Hic autem, quia alienam accipit, adulter factus est rursus. Ne enim michi hoc dicas, quoniam emisit ille. Etenim et emissa, manet emittentis mulier. Deinde ut non totum ad emittentem **prohiciens**, procaciorum faciat mulierem, et suscipientis postea precluserit ei hostia. In dicendo quidem, quicumque dimissam duxerit adulterat, mulierem et nolentem sobriam faciens, et ad **omnes** ingressum obstruens ei, et non concedens occasiones tribuere pusillanimitatis. Que enim didicit quod necesse est, uel eum quem ab initio sortita est habere, uel a domo cadentem illius, nullum aliud habere refugium, et nolens cogebatur sustinere coniugem suum. Si autem nichil ei de his loquitur, ne mireris. Imbecillius enim est, mulier. Propterea ipsam dimittens, in minis que sunt aduersus uiros, illius emendat desidiam. Quemadmodum si quis puerum prodigum habens, illum dimittens, eos qui faciunt eum talem increpat, et illos prohibet non **conuenire** neque appropriare ei. Si autem honorosum est hoc, rememorare michi eorum que ante dicta sunt. In quibus beatificauit eos qui **audiunt**, et uidebis multum possibile, et facile existens. Qui enim mitis, et pacificus et pauper spiritu, et misericors, qualiter emittit mulierem? Qui alios **permutat**, qualiter ipse litigabit ad seipsum? Non sic autem solum, sed et alio modo leuem fecit legem. Etenim et huic derelinquit unum modum dimissionis dicens extra causam fornicationis, quoniam **rursus** in **idipsum** caderet. Si enim iussisset et multis coniunctam detinere intus, rursus in adulterium, hoc conuerteretur. Vides qualiter conuenientia hec sunt anterioribus? Qui enim non uidet aliam mulierem incontinentibus oculis, non fornicabitur. Qui autem non fornicatur, non tribuet uiro, emittere suam mulierem. Propterea iam cum otio coartat, et timorem obstruit, magno concutiens uirum periculosi **emiserit**. Adulterii enim **illius**, obnoxium semetipsum facit. Vt enim ne audiens, erue oculum, estimes et de muliere hec dicere, oportune induxit emendationem hanc, uno modo concedens, dimittere eam, alio autem nullo. Rursus audistis, quoniam dictum est antiquis, non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico uobis non iurare uniuersaliter. Cur non uenit confestim ad furtum, sed ad falsum testimonium transcendens illud mandatum? quoniam qui furatur quidem, est quando et iurat. Qui autem neque iurare neque mentiri nouit, multo magis neque eliget furari. Quare per **hoc**, et illud auertit peccatum. Mentiri enim est, a furando. Quid autem est, reddes domino iuramenta tua? Hoc est, uerum dices, iurans. Ego autem dico uobis, non iurare uniuersaliter. Deinde **insuper** eos abducens, a iurando **secundum** deum, ait. Neque per celum, quoniam thronus et dei, neque **in terra**, quoniam scabellum est pedum eius, neque **secundum** ierusalem, quoniam ciuitas est magni regis. A prophetis **stetit** loquens, et monstrans seipsum non contrarium antiquis. Etenim consuetudinem habebant, per hec iurare, et monstrat hanc consuetudinem in fine euangelii. Tu autem michi inspicere, unde extollit elementa, non a propria **natura**, sed ab abitudine dei, que est ad ipsa, que secundum condensationem dicta est. Quoniam enim multa hydrolatrie tyrannis erat, ut non

Commented [ND35]: [fol.65rb]

Commented [ND36]: enuntians *add. super lin.*

Commented [ND37]: [fol.65va]

Commented [CN38]: coniungi *add. super lin.*

Commented [CN39]: sermonem hunc *add. super lin.*

Commented [CN40]: reconciliatur *add. super lin.*

Commented [CN41]: legi *add. super lin.*

Commented [CN42]: si hoc non esset *add. super lin.*

Commented [CN43]: id est fornicationem *add. super lin.*

Commented [CN44]: uel licentia *add. super lin.*

Commented [CN45]: [fol.65vb]

Commented [CN46]: uxoris *add. super lin.*

Commented [CN47]: mandatum *add. super lin.*

Commented [CN48]: amplius *add. super lin.*

Commented [CN49]: uel per *add. super lin.*

Commented [CN50]: uel per terram *add. super lin.*

Commented [CN51]: uel per *add. super lin.*

Commented [CN52]: uel est *add. super lin.*

Commented [CN53]: eorum *add. super lin.*

uideantur elementa per se ipsa esse preciosa, hanc posuit causam quam diximus. Quae rursus ad dei gloriam transibat. Neque enim dixit, quoniam bonum et magnum est celum. Neque quoniam utilis et terra. Sed quoniam dei hoc quidem est tronus, hec autem scabellum. Vndique eos ad dominatorem impellens. Neque per caput tuum ait, quoniam non potes unum capillum album facere uel nigrum. Rursus hic non ammirans hominem induxit non iurare per caput suum. Etenim ipse adoraretur. Sed gloriam ad deum reducens, et monstrans quod neque sui ipsius est dominus, quare neque secundum iuramentum capitis. Si enim puerum suum non utique aliquis daret alii, multo magis deus opus suum non tribuet tibi. Etsi enim tuum et caput, sed alterius est possessio, et tantum desistis ab existendo dominus, quod neque quod omnium est ultimum, operari in ipso potes. Non enim dixit non potes afferre capillum, sed neque alterare eius qualitatem. Quid igitur si expetit aliquis iuramentum ait, et necessitatem inducit? dei timor necessitate hac sit potentior. Quoniam si tales promiseris occasiones, nichil custodies eorum quae tibi iussa sunt. Etenim et in muliere dices. Quid igitur si bellatrix fuerit et consumptrix? Et in oculo dextro. Quid igitur si auferam eum et conburar? Et in uisu incontinenti. Quid igitur possum non uidere? Et in ira que est ad fratrem. Quid igitur si importunus fuero, et non potero linguam retinere? Et omnia simpliciter ita conculcabis que dicta sunt, quamuis in legibus humanis nequaquam hoc audes causari neque dicere, quid igitur si hoc et hoc? Sed et uolens et nolens acceptas quae scripta sunt. Sed et aliter, neque necessitatem sustinebis umquam. Qui enim anteriores beatitudines audiuit, et talem seipsum preparauit qualem iniunxit christus, nullam a nullo sustinebit talem necessitatem, uenerabilis existens apud omnes et honestus. Sit autem uestrum utique, utique et quod est non, non. Quod autem habundans ab his est, a pernitioso est. Quid autem est habundans ab utique et non? Iuramentum, non deierare. Illud enim et confessum est, et nullus indiget discere, quoniam a pernitioso est. Et non habundans est sed contrarium. Habundans autem est, quod amplius est, et quod ex superfluitate, preiacet quod est iuramentum. Quid igitur aiunt, a pernitioso est? etsi a pernitioso est, qualiter lex erat? Hoc idem utique et de muliere dices, qualiter adulterium estimatur, quod prius concessum erat? Quid igitur ad hec est dicere? Quoniam infirmitatis eorum qui suscipiebant leges, erant que tunc dicta sunt. Quoniam et scalpsione curare, ualde indignum est deo, quemadmodum et trulum esse, indignum est philosopho. Adulterium igitur estimatur, hoc tale. Et a pernitioso est iurare, quando adaucta est uirtus. Si autem diaboli hec a principio fuerunt, leges non utique tantum emendassent. Etenim nisi illa prius precurrissent, non utique ita suscepta essent quae nunc sunt. Ne igitur eorum expetas uirtutem, cum pertransit eorum utilitas, sed tunc, quando tempus ea uocabat. Magis autem si uis, et nunc. Etenim et nunc uirtus eorum monstratur. Et propter hoc maxime ipsis detrahit. Apparere enim ea nunc talia, laus maxima eorum est. Si enim non bene nos nutrissent, et ad susceptionem maiorum aptos fecissent, non utique apparerent talia. Quemadmodum igitur uber, cum suum omne expleuerit opus, et ad perfectiorem mensam puerum dimiserit, iam inutile apparet, et genitores qui prius necessarium esse puero id estimabant, decem milibus conuiciis detrahunt ipsis. Multi autem neque uerbis solum ei detrahunt, sed et amarum circumungunt farmacis. Vt cum non potuerint uerba in temporaneam de ipsis destruere pueri dispositionem, saltem res extinguant desiderium. Ita et christus, a pernitioso ea dixit esse, non ut monstret, diaboli ueterem legem existentem, sed ut cum multa superhabundantia abducatur a ueteri uilitate, et ad eos quidem hec dicit ait. In insensibilibus autem uideris, et immorantibus in eisdem, uelut amaritudine quadam id est captiuitatis timore, ciuitatem circumungens, in uiam fecit. Quoniam autem neque hoc potuit eos detinere, sed rursus eam cupiebant uidere, quemadmodum puer papillam detinentes, finaliter eam occultauit, et destruens eam, et plures eorum, a longe ab ipsa abducens. Quemadmodum in uaccis, multi uitulos precludentes, tempore suadent desidere, a ueteri lactis consuetudine. Si

Commented [CN54]: [fol.66ra]

Commented [CN55]: iuramentum *add. super lin.*

Commented [CN56]: licet iurare *add. super lin.*

Commented [CN57]: libelli datio *add. super lin.*

Commented [CN58]: uel in scalpendo *add. super lin.*

Commented [CN59]: repudium *add. super lin.*

Commented [CN60]: nostra *add. super lin.*

Commented [CN61]: ei *add. super lin.*

Commented [CN62]: iuramento et repudio *add. super lin.*

Commented [CN63]: [fol.66va]

Commented [CN64]: uerbero *add. super lin.*

autem diaboli erat uetus testamentum, non utique ab hidolatria abduxisset, sed contrarium, induxisset utique in ipsam et immisisset. Hoc enim et diabolus uellet. Nunc autem contrarium uidemus a ueteri lege factum. Sed et hoc ipsum iuramentum, antiquitus propterea in **legislationem** ductum est, ut non per hidola iurarent. **Iurare** enim ait, per deum uerum. Non igitur parua emendauit lex, sed et ualde magna. Venire enim ad solidum eius cibum, studii illius opus fuit. Quid igitur non pernitiosi ait est iurare? Et uehementer quidem est pernitiosi, sed nunc post tantam philosophiam, tunc autem non. Et qualiter utique idem fiet ait, nunc quidem bonum, nunc autem non bonum? Ego autem contrarium dico, qualiter autem non **utique** fiet bonum et non bonum, rebus uniuersis **id** clamantibus et artibus et fructibus et aliis uniuersis? Vide nimirum in natura nostra, id primum contingens. Portari enim in prima quidem etate est bonum, postea autem pessimum. Masticatum cibum comedere in proemiis quidem uitae nostrae est bonum, postea autem abhominatio est plenum. Lacte nutriri et ad uerba fugere in principio quidem est utile et salutare, postea autem pessimum et nocuum. Vides qualiter heedem res sub temporibus bone, et non **tales** apparent rursus? Etenim fere uestimentum puerile, infanti quidem existenti, est bonum, uiro autem facto, rursus turpe. Vis et ex contrariis rursus discere, qualiter puero que uiri sunt, inconuenientia rursus sunt? Da puero uestimentum uirile, et multa erit derisio, et maius periculum, ineundo ita euerso multotiens. Da ei exercere causas ciuiles, et negotiari, et seminare, et metere, et rursus multus erit risus. Et quid dico hec? **Homicidium** enim quod ab omnibus confessum est, inuentionem esse pernitiosi, hoc assumptum tempore decenti, facientem id finees sacerdotio honorari fecit. Quoniam enim homicidium opus est illius, audi quid ait. Vos opera patris uestri uultis facere. Ille homicida fuit a principio, sed factus est homicida finees, et reputatum est ei ad iustitiam ait. Habraham autem non homicida solum, sed et parricida, quo multo deterior esset factus, magis approbatus est rursus. Sed et petrus dupplicem fecit occisionem, sed tamen spirituale fuit quod factus est. Ne igitur simpliciter res inuestigemus, sed et tempus et causam et consilium et personarum differentiam. Et quecumque eis alia contingunt, omnia cum diligentia queramus. Neque enim est aliter adipisci ueritatem. Et studeamus si uelimus regno potiri, ut aliquid amplius ueteribus preoccupemus. **Aliter** enim extra has **stabimus** ianuas. Si enim non superhabundauerit iustitia uestra, amplius scribis et phariseis, non potestis intrare in regnum caelorum. Sed tamen et tantis iniacentibus minis, sunt quidam qui non solum non superexcedunt iustitiam illam, sed et deficiunt ab ipsa. Non enim solum iuramenta non fugiunt, sed et periurant. Non solum incontinentem uisum non declinant, sed et in ipsam pernitiosam incidunt actionem, et alia omnia quae prohibita sunt sine dolore audent. Vnum solum expectantes id est iudicii diem, et quando ultimam eorum que deliquerunt, dabunt uindictam, quod eorum qui in malitia dissoluerunt uitam est solum. **Illos** enim non **noscere** oportet, et nichil aliud quam **supplicium** iam expectare. Qui enim hic sunt, adhuc et pugnare poterunt, et uincere et facile coronari.

Ne igitur **recidas** o homo, neque bonum hoc dissoluas desiderium, neque enim onerosa sunt que iniunguntur. Qualis labor dic michi est iuramentum fugere? Numquid enim consumptio pecuniarum est? Numquid enim sudor et miseria? Sufficit uelle solum, et totum factum est. Si autem consuetudinem solum causaris, propter hoc quidem ipsum maximae facile eese animo hanc emendationem. Si enim in aliam ipsum constitueris consuetudinem, totum emendasti. Intellige itaque quod apud grecos multi, hii quidem, trauli existentes, meditatione multa claudicantem eis linguam emendarunt, hii autem humeris in ordinate delatis et motis continue, gladium imponentes destiterunt. Postquam enim scripturis non creditis, ab his qui extra fidem sunt cogimur alicere, hoc et deus ad iudeos faciebat dicens. Ite ad insulas chetim, et ad cedar

Commented [CN65]: [fol.66vb]

Commented [CN66]: uel iurate *add. super lin.*

Commented [CN67]: idem *add. super lin.*

Commented [CN68]: uel ea *add. super lin.*

Commented [CN69]: male *add. super lin.*

Commented [CN70]: [fol.67ra]

Commented [CN71]: uel ut non *add. super lin.*

Commented [CN72]: uel stemus *add. super lin.*

Commented [CN73]: uel de illis *add. super lin.*

Commented [CN74]: uel desperare *add. super lin.*

Commented [CN75]: [fol.67rb]

Commented [CN76]: eorum *add. super lin.*

Commented [CN77]: Morale xvii. De non iurando *notum in marg.*

Commented [CN78]: uel desesis *add. super lin.*

mittite, et cognoscite si alterabunt gentes, deos suos. Et ipsi non sunt dii, sed et ad irrationalia mittit multotiens ita dicens. Esto ad fornicam o piger, et zelare uias eius, et incede ad apem. Hoc igitur et ego uobis dico, excogitate grecorum philosophos, et tunc scietis quanto sumus supplicio digni, qui leges diuinas transgredimur, quando illi quidem pro destruenda in deformitate humana, decem milia fecerunt. Vos autem neque pro celestibus idem tribuitis studium. Si autem et post hec dices quod aptum quid consuetudo est, furari et eos qui uehementer student, confiteor quidem hoc et ego. Veruntamen et illud cum hoc aio, quod ut aptum est decipere, ita et facile emendari. Si enim constitues in domo multos tibi ipsi custodes, puta, famulum, mulierem, amicum, facile ab omnibus impulsus et abactus, desistes a maligna consuetudine. Et si decem diebus solum id direxeris, non ultra indigebis iam alio tempore. Sed omnia cum stabilitate tibi iacebunt, optime consuetudinis soliditate, rursus radicata. Cum igitur inceperis hoc dirigere, etsi semel, etsi secundo, transgressus fueris legem, etsi tercio, etsi uicies, non desperes. Sed rursus exurge, et potire eodem studio, et superabis omnino. Neque enim quodlibet est malum periurium? Si autem iurare est pernitiosi, periurare quantum feret supplitium? Laudastis quae dicta sunt? Sed ego applausibus non indigeo, neque tumultuationibus neque sono. Vnum uolo solum, cum silentio et doctrina audientes, facere que dicuntur. Hoc michi est applausus, hoc laus. Si autem laudes quidem que dicta sunt, non facias autem quae laudas, maius quidem est supplicium, amplior autem accusatio, et nobis uerecundia et derisio. Neque enim theatrum sunt presentia non tragedos sedetis inspecturi nunc, ut applaudatis solum, scholae spirituales sunt que hic sunt. Ideoque quod studetur est, ut dirigatis que dicta sunt, et per opera demonstretis oboedientiam. Tunc enim uniuersum erimus accipientes, quia nunc et desperauimus iam. Etenim his quibus singulariter loquuntus sum non defeci hec suadens, et uobis communiter loquens. Et nichil uniuersaliter uideo factum amplius. Sed adhuc prioribus uos insistentes elementis. Quod sufficiens est docenti, multam imponere desidiā. Vide itaque et paulum propter hoc intolerabiliter tristantem, quod multo tempore prioribus immorabantur disciplinis auditores. Etenim debentes esse ait, magistri propter tempus, rursus necessitatem habetis ut doceamini, quae sunt elementa principii eloquiorum dei, ideoque ploramus pro uobis et contristamur. Etsi immorantes uideo, prohibebo iam uos sacris his superuenire ianuis. Et immortalibus participare misteriis, uelut fornicatores et adulteros et homicidas. Etenim melius cum duobus uel tribus dei custodientibus leges, consuetas referre orationes, quam multitudinem attrahere iniquiorum, et alios corrumpentium. Ne michi aliquis diues, ne michi aliquis potens hic tumescat, et supercilia extollat. Omnia hec, michi fabula sunt, et umbra, et somnium. Nullus enim eorum qui nunc ditantur, michi presistet, cum incuser et accuser, quod non cum decenti uehementia leges dei uindicasti. Hoc enim et mirabilem illum senem perire fecit, quamuis uita tribuentem in reprehensibilem. Sed tamen postquam eos qui dei legem conculcabant despexit, punitus est cum pueris, et difficile dedit supplicium. Si autem ubi tanta naturae erat tyrannis qui non cum decenti uiriliter suis pueris usus est ita difficilem dedit uindictam, quam habebimus ueniam nos et a tyrannide illa eruti, et blanditiis omnia corrumpentes? Vt igitur non et nos et uosipsos simul perire faciatis, credite deprecor. Et decem mille scrutatores et inuestigatores uobis ipsis constituentes, eruamini auramentorum consuetudine. Vt uia prouenientes hinc, et aliam uirtutem cum omni facilitate emendetis, et futuris potiamini bonis quibus sit omnes uos frui, gracia, et misericordia domini nostri ihesu christi, cum gloria et imperium, nunc et semper, et in secula seculorum amen.

Commented [CN79]: uel perimi tabunt *add. super lin.*

Commented [CN80]: infinita uel multa *add. super lin.*

Commented [CN81]: [fol.67va]

Commented [CN82]: omnia *add. super lin.*

Commented [CN83]: [fol.67vb]

Commented [CN84]: uel a facientium *add. super lin.*

Commented [CN85]: hely *add. super lin.*

Commented [CN86]: [fol.68ra]